UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regvla Sancti Patris Benedicti

Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>

Moguntiae, 1604

X. De litteris, & munusculis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-64533

Visual Library

nuerint, eiſdem obtentis vti, præterquam neceſſitatibus vrgentibus: nec aliter ipſæ Moniales tales admittant, ſub eiſdem pœnis, nec obſtent prædictis contraria quæcunque. Hæc igitur penitus obſeruanda erunt quæ tam ſtrictè præcipiuntur.

2. Ordinamus etiam, vt inſuper Moniales noſtræ Congregationi ſubditæ, omnino abſtineant à colloquiis perſonarum laicarum vtriuſque ſexus, etiam conſanguineorum, omnibus diebus Quadrageſimæ, & Aduentus Domini, & in quibus facta fuerit ſanctiſſima Communio; ob reuerentiam talium dierum, & vt contemplationi vacare poſſint.

3. Nulla autem Monialis nec etiam Abbatiſſa præſumat introducere alios Medicos præter ordinarios Monaſterii, ſine licentia Prælati vel Viſitatorum in actu Viſitationis. Qui quidem Patres non facilè licentiam huiuſmodi impartiantur: ſed omnino aduertant ad Decreta in præſcripto Breui.

De litteris, & munuſculis, non mittendis, neque recipiendis. Cap. X.

1 ORDINAMVS vt Moniales amodò non præſumant mittere Diffinitoribus munuſcula tam generaliter quam particulariter.

2. Volumus & ordinamus ad euitandũ proprietatis vitium, furta & inobedientias & alia inconuenientia, quod nulla Monialium do-

nare

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nare aliquid poſſit vili Abbatum, Confeſſorum, Viſitatorum, Monachorum, aut aliorũ ex noſtris, nec etiam de ſpeciali licentia Abbatiſſæ.

3. Idemque intelligimus de Fratribus noſtris: qui Monialibus quibuſcunque etiam de licentia expreſſa Prælati ſui donare aliquid præſumpſerint.

4. Contrafacientes verò tam Moniales quã Fratres cuiuſcunque gradus exiſtant, ieiunẽt ter in pane & aqua, intra quindecim aut viginti ad ſummum dies: & Prælato & Abbatiſſæ reſpectiuè recepta reſtituant, ſuper quo à nemine diſpenſari valeant.

5. Ordinamus etiam quod Moniales ſcribẽtes & mittentes litteras vel nuntia cuilibet Fratrum noſtrorum, pro qualibet vice comedant in terra in Refectorio in pane & aqua: & genuflexæ maneant ad portam Refectorii tranſeunte conuentu, cum zona ad collum.

6 Idem intelligitur de Fratribus ſcribentibus, grauius puniendis, etiam pœna carceris pro qualitate literarum. Excipiuntur tam in ſcribendo quam in mittendis munuſculis Fratres, Sorores & alii conſanguinei vſque ad tertium gradum: qui id facere poſſint de licentia Superiorum.

FINIS.

LAVS DEO.